

quotiente 61, et supererit 1. Hinc annus 1700 est primus cycli solaris, eique e regione respondet littera Dominicalis in tabulis; unde distichum:

Junge annis Domini ter ternos, perque viginti
Octo seca summam; cyclus solaris habetur.

(63. Ut autem sine tabella littera Dominicalis possit inveniri dantur sequentes versiculi:

Astra dabit Dominus, gratisque beabit egenos,
Gratia Christicolæ feret aurea dona fideli.

Hæc verba respondent mensibus juxta suum ordinem, nempe *Astra* Januario, *Dabit* Februario, *Dominus* Martio, et sic de reliquis; sola autem prima littera in illis consideratur, et ipsa est Dominicalis affixa primæ diei respectivi mensis. Unde *Astra* ut incipiens per *A.* indicat primæ diei mensis Januarii competere litteram Dominicalem: *A.* Dabit ut incipiens per *D.* indicat primæ diei Februarii competere litteram Dominicalem *D.*, et sic de reliquis. Cognita igitur prima die alicujus mensis, quæ nimirum in hebdomada illa sit, clare patebit quænam littera Dominicalis illi anno respondeat. Hinc quia Martius anno 1744, a die Dominica, seu die Domini incipit; secunda illius dies erit lunæ, tertia Martis, et sic de reliquis. Unde cum primæ diei Martii competat *D.* secundæ diei *E.*, tertiæ *F.*, quartæ *G.*, quintæ *A.*, sextæ *B.*, septimæ *C.*, littera Dominicalis ejusdem anni 1744, a Martio incipientis erit *D.* Quia vero annus 1744 est bissextilis, ac proinde duæ litteræ Dominicales illi competunt, si littera *D.* est Dominicalis in Martio, littera *E.* erit Dominicalis in Januario usque ad diem 25 Februarii, ubi nimirum sit diei intercalatio; atque adeo littera, quæ ab initio Januarii usque ad festum S. Matthæ in diem Dominicam incidebat, deinceps a festo S. Matthæ in feriam secundam cadit, et dies Dominica designatur præcedenti littera; eo quod orbis iste litterarum Dominicalium non septem annis, sed quater septem, id est 28 annis expleatur.

(64. Cyclus lunæ, seu *aureus numerus* est cyclus 19 annorum in perpetuum revolubilis, a Metone quodam Atheniensi excogitatus, ut lunaris motus cum solari ad æqualitatem reduceretur. Cyclus enim est certus annorum numerus excogitatus per antiquos, ut certius de tempore rerum gestarum posteris constaret. (65. Ut autem prompte sciatur quotus sit cyclus lunæ, sive numerus aureus cujuslibet anni, debet addi annus unus anno currenti, et totalis summa dividi

KYRIE ELEISON.

Kyrie eleison est vox græca, et significat *Domine miserere*. Et fuit a Græcis translata ad Romanos eodem idiomate ob reverentiam antiquitatis, et Ecclesiæ unitatem inter Græcos, et Latinos, et sicuti eodem idiomate translatae sunt ab Hebræis hæc voces Hebraicæ; *Amen*, *Alleluia*, *Sabaoth*, *Osanna*, ut ostendatur unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis, et Græcis primum, deinde ex La-

per 19 et si quid residuum fuerit, id numerum cycli lunaris, seu numeri aurei anno currenti debitum indicabit. Si vero nihil remanserit; cyclus lunæ, seu aureus numerus erit 19: v. g. si annus currentis sit 1700, et ipsi addatur 1, habebitur 1701, quæ summa totalis si per 19 dividatur, invenientur in quotiente seu *exponente* 89, et supererunt 10, qui demonstrant annum 1700 esse cycli lunaris, seu aurei numeri decimum; quod totum indicat sequens distichum:

Unum addes annis Domini, summamque novenis
Et denis tribues, numerus tibi ut aureus adsit.

(66. Appellatur autem communiter hic lunæ cyclus aureus numerus, quia tanti hujusmodi cyclum fecit antiquitas, ut aureis pingeretur, seu scriberetur characteribus, et signanter Athenienses aureis numeris illum in foro præfigerent, et, ut multi referunt, Alexandrini in tabula argentea aureis litteris descriptum Romanis olim miserint.

(67. Non possunt locorum ordinarii, tam sæculares, quam regulares addere suis Kalendaris sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ a Breviarii Romani rubricis, vel a sac. Rituum cong. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Neque propria auctoritate, et quovis prætextu possunt mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiore ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum. Sac. Rit. Congreg. 3 Aprilis 1668.

(68. Kalendarium Gregorianum pro distributione festorum, jejuniorum, et hujusmodi ab Italo-Græcis servari præcipitur. Bened. XIV., t. I, Const. 57, incip. *Etsi Pastoralis*, § 9.

* Gregorianum Kalendarium passim a protestantibus proscissum, atque etiam a nonnullis catholicis nostrorum temporum mathematicis, quos inter Eustachius Manfredus, et Jacobo Bettazzo, in quibusdam reprehensum vindicarunt Joannes Busæus edita Moguntia 1585 disputatione apologetica pro Kalendario Gregoriano, P. Mahoudeau apud Trivultianos Patres in Ephemeridibus litterariis an. 1738, August. art. 78, et Septembr. art. 87. P. Joannes Baptista Ricciolus, in epistola ad Jo. Dominicum Cassinum, P. Horatius Borgondio in Constructione Kalendarii Gregoriani propugnata, Romæ 1729, et Melito a Perpiniano Capuccinus in apologia pro Kalendario, seu computo Paschali, et in epistola animadversoria ad R. Jacobum Bettazzi. *

tinis coadunata est; Quarti Commentar. in Rubric. Miss., part. 1, t. VII, n. 2. Merati t. I, par. 1. t. VIII, rubrica 2, n. 7. Hanc translationem a Græcis ad Romanos fuisse factam a S. Silvestro asserunt Rodolphus propos. 23. Gavant apud Merati loc. cit. Quarti l. c. Hoc tamen incertum videtur; Amalarius enim, Strabo, Micrologus, et alii apud Merati l. c. id tribuunt S. Gregorio

Magno. At vero fuisse in usu in tota Italia ante S. Gregorium annis 150, testatur concilium Vasense II, cap. 4, sub Felice IV celebratum, ut ex Bellarmino, et aliis referunt Gavant., et Merati loc. cit.

Ter autem repetitur *Kyrie*, ter *Christe*, et iterum ter *Kyrie* ad confessionem SS. Trinitatis, id est ter ad Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum Sanctum; sed ad Patrem, et Spiritum Sanctum, sub eadem voce *Kyrie*; quia Pater et Spiritus sanctus sunt unius naturæ tantum, id est solius divinæ. Ad Filium vero sub alia voce nempe *Christe*, quia præter naturam divinam, habet etiam hu-

manam: dicitur etiam ter ad quamlibet personam ad significandum quod omnes personæ sunt in se invicem; S. Thomas 3, part. quæst. 83, art. 4. Quarti. Gavant., et Merati loc. cit.

Novies in missa repetitur contra novem genera peccatorum, id est contra originale, mortale, veniale, cordis, oris, operis, infirmitatis, ignorantia et malitia. Innocent. III. lib. III, cap. 19. Gavant apud Merati t. I, par. II, tit. 16, n. 4.* Christianus Godofredus Grabenerus, e Protestantium secta, structuras historicas de formula *Kyrie Eleison* edidit Dresdæ 1744. V. infra v. *Litanie*.*

L

LÆSIO.

Vide verb. EMPTIO et VENDITIO, art. 5, ubi late de his.

LAICUS.

SUMMARIUM.

1. Laicus est penitus incapax juris spiritualis, seu ecclesiastici. — 2. Laicus spiritualia, et ecclesiastica negotia tractare non debet. — 3. Laicus nullam habet potestatem in personis et res ecclesiasticas ad n. 9. — 4. Laici omnes, etiam principes et reges, in spiritualibus causis sunt subditi judicio ecclesiastico. — 5. Laici usurpantes res ecclesiæ conveniuntur coram episcopis, et ad satisfactionem compelluntur. — 6. Laici pro re Ecclesiæ conveniri possunt coram iudice ecclesiastico. — 7. Laici pro juramentorum observantia conveniri debent coram iudice ecclesiastico. — 8. Laici in mere temporalibus, et profanis non ligantur constitutionibus canonicis, nisi in terris ecclesiæ. — 9. Laicis personis de mysteriis fidei publicè, vel privatim disputare prohibuit sub pœna excommunicationis ferendæ. — 10. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, sed etiam confirmativam. — 11. Talis prohibitio comprehendit omnes laicos, nedum indoctos sed etiam doctos. — 12. Possunt tamen laici docti de fide disputare in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 13. Possunt etiam laici docti disputare de fide disputatione materiali. — 14. Non autem disputatione formali, nisi in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 15. Laici non possunt predicare: imo laici prædicantes subjacent excommunicationi, et nisi quam citius resipuerint, alia competentis pœna sunt plectendi. — 16. Laici presentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non possunt. — 17. Laicus, qui post commissum delictum, sine ulla fraude factus est clericus, gaudet privilegio fori tam quoad personam, quam quoad bona. — 18. Si vero post commissum delictum, in fraudem clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio fori quoad personam. — 19. At non gaudet privilegio fori quoad bona, si iudex laicus post commissum delictum ante illius promotionem prævenit in causa. — 20. Iudex tamen sæcularis præveniens non potest in bonis talis clerici procedere nisi postquam iudex ecclesiasticus pronuntiaverit eum in fraudem curiæ sæcularis promotum fuisse. — 21. Laicus, qui dum detineretur in carcere curiæ sæcularis factus est clericus, vel professus, potest a iudice laico stringi, et puniri etiam in persona. — 22. Laicus inquisitus, et carceratus in curia sæculari, et postea dimissus sub fideiussione de se representando, si interim fuerit factus clericus,

potest pro causa illa a iudice laico ad carceres revocari, et puniri etiam pœna temporis. — 23. Laicus in exilium pulsus a iudice sæculari cum hoc, ut si exilium non servaret, incideret in pœnam tritemium, si postea ordinatus exilium non servaverit, et propterea ab eodem iudice in carcerem coniectus fuerit, si revera ante transgressionem exilii promotus fuerit, est remittendus ad iudicem ecclesiasticum. — 24. Laici non possunt offerre oblationes in altaribus. — 25. Laici non possunt sacrificare, nec absolvere, aut ligare. — 26. Unde laicus, seu etiam clericus non sacerdos, audent celebrare, aut sacramentaliter absolvere, fit suspectus de hæresi, et est cogendus ab inquisitoribus abjurare de vehementi, et licet esset minor 25 annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, et brachio sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus. — 27. Et si laicus, vel clericus non sacerdos attentaret absolvere, nulla esset absolutio, non obstante errore communi. — 28. Laici neque possunt exercere officium ordinum minorum. — 29. Laici non possunt regulariter inservire ministris in altari. — 30. Laici sub specie panis tantum possunt communicare. — 31. Laici non a se, sed a sacerdotibus debent Eucharistiam accipere, nisi essent in articulo mortis, et deliceret sacerdos, vel diaconus. — 32. Laici eligere non possunt ad dignitates, et prælaturas ecclesiasticas. — 33. Et electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine. — 34. Laici nec eligi possunt ad dignitates et prælaturas ecclesiasticas. — 35. Nisi tamen Papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi, et postea quam primum tonsurari. — 36. Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus sancti. — 37. Unde laici sunt incapaces beneficii ecclesiastici. — 38. Possunt tamen laici presentari ad beneficia a patronis eorum ordinario, sub conditione, quod clericentur intra tempus statutum ad presentandum. — 39. Laici non possunt habere pensiones ecclesiasticas. — 40. Laici, etiam patroni, non possunt conferre clericis beneficia, aliasque ecclesias, sed possunt ad ea presentare si habent jus; et si concedant sine licentia episcopi, nulla est concessio. — 41. Laici non possunt alicui domui religiosæ concedere jus patronatus sine licentia episcopi. — 42. Laici non possunt spoliare de ecclesiis seu beneficiis clericos delinquentes. — 43. Laici, qui clericos instituunt et destituunt, in ecclesiis, seu beneficiis etiam patronatus, subjacent

excommunicationi. — 50. Laici non possunt facere judicia in ecclesiis, seu domibus earum. — 51. Imo laici non possunt facere sua concilia in ecclesiis, seu domibus earum. — 52. Laici non possunt frequentare monasteria monialium, alias excommunicationi subduntur. — 53. Laici non possunt tangere sacras reliquias, neque vasa sacra, et neque illa abluere. — 54. Laici induentes se vestibus sacris sunt puniendi, et condemnatur mos in aulis principum induendi laicos habitu episcopali joci gratia. — 55. Laici non possunt indui superpellicis. — 56. Laici non possunt habere cryptas, seu aditus subterraneos, per quos a suis domibus ad ecclesias, et loca immunia transeant, et ubi adsint, injungitur episcopo, ut eos claudere faciat. — 57. Laici, dum divina celebrantur, non debent inter canonicos et alios ecclesie præbendatos in choro stare, vel sedere. — 58. Laicorum loca in ecclesia distincta, et separata esse debent a locis canonicorum, et ministrorum in divinis inservientium. — 59. Laici non debent occupare stalla, seu loca dignitatum, canonicorum et præbendarum in

(1. Laicus est penitus incapax juris spiritualis, seu Ecclesiastici; cap. *Massana* 56, De elect.; cap. *Causam* ques. 7, De prescriptionibus, cum similibus. Rota part. IV, recent. decis. 483, n. 16, et communissima doctorum. (2. Unde Laicus spiritualia et ecclesiastica negotia tractare non debet, textu expresso in cap. *Decernimus* 2, de Judiciis, ibi: « Decernimus, ut Laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant, » et concordat cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, cap. *Quæ in Ecclesiarum* 7, et c. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de Constitutionibus, et cit. cap. *Massana*, et cap. *Causam quæ*, cum similibus. (3. Sicque Laicus nullam habet potestatem in personas, et res ecclesiasticas, quia laicis, quamvis religiosis, disponendi de ecclesiis, rebus et personis ecclesiasticis, nulla est attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, cap. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de Constitutionibus, ubi expresse dicitur: « Nos attendentes, quod laicis, etiam religiosis, super Ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; » et cap. *Cum laicis* 12, De rebus Ecclesie alienand. vel non, ibi: « Cum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesie nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. »

(4. Laici causas spirituales beneficiales, vel decimales ad se advocantes, vel eorum cursum impediunt, vel qui partes astringunt ad revocandum citationes, inhibitiones, aut alia acta in causis præfatis, etiamsi id facientes sint superiores, cancellarii, consiliarii, et ministri cujuscunque principis, incurrunt excommunicationem bullæ *Cænæ*, ibi § 14. (5. Item similem excommunicationem Bullæ *cænæ* incurrunt laici, qui personas ecclesiasticas, collegia, seu capitula trahunt ad suum forum, sive directe, sive indirecte, vel quomodocumque juri ecclesiastico præjudicant, ibi § 15. (6. Item eandem excommunicationem incurrunt laici, qui impediunt episcopos, vel alios prælatos

choro, vel presbyterio, etiamsi sint illustres et de magistratu. — 60. Laici non possunt tenere sedilia in presbyterio, nec possunt retinere baldachinum in ecclesia, nec eis est deferendum evangelium ad osculandum. — 61. Hinc sac. Rit. cong. mandavit aptandum esse locum magistratui extra presbyterium juxta designationem porrectam a magistro ceremoniarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. — 62. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, seu stratus. — 63. Laici, exceptis personis regalibus, nequeunt sibi facere deferri strata ad ecclesias. — 64. Laici an et quomodo possunt ponere et retinere sedilia, seu scamna propria in ecclesia? — 65. Laici non sunt invitandi ad synodum, nec locum præterdere possunt. — 66. Laici non possunt esse vicarii episcopi. — 67. Laici non possunt esse socii visitatoris in ingressu clausuræ monialium. — 68. Laici magistratus jus non habent indicendi publicas preces. — 69. Additiones ex aliena manu.

ecclesiasticos, ne suo jure utantur in ecclesiasticis, capiendo vel persequendo agentes eorum, consanguineos, affines, vel procuratores, ibi § 16. (7. Item eandem excommunicationem incurrunt laici usurpantes jura, fructus et alia hujusmodi sedis Apostolicæ vel aliarum ecclesiarum, vel qui ea sequestrant absque licentia superioris competentis, ibi § 17. (8. Item eandem excommunicationem incurrunt Laici imponentes decimas, talleas, collectas, vel alia onera ecclesiasticis, vel eorum bonis absque licentia Papæ; vel qui sic imposita exigunt, aut recipiunt. Sic etiam, qui directe, vel indirecte ea exsequi faciunt, vel procurant, aut dant auxilium, favorem, vel consilium, cujuscunque gradus, aut dignitatis sint, ibi § 18. (9. Item eandem excommunicationem incurrunt laici causas criminales ecclesiasticorum judicantes, tractantes, etc., ut judices, notarii, scribæ, executores processando, banniendo, capiendo, vel contra eos sententiando sine licentia Papæ.

(10. Laici omnes, etiam principes, et reges in spiritualibus causis sunt subditi iudicio ecclesiastico; cap. *Quis dubitet* 9, et cap. *Si imperator* 11, dist. 96, cap. *Novit ille* 13, de Judiciis, cap. *Unam sanctam*, De majorit. et obedient. inter extravagantes communes. (11. Laici usurpantes res ecclesie, coram episcopis conveniuntur, et ad satisfactionem compelluntur; cap. *Conquestus* 16, de foro competent, c. *Sicut* 2, De privilegiis. (12. Laici pro re Ecclesie conveniri possunt coram iudice ecclesiastico, cap. *Si clericus* 5, De Foro competent. (13. Laici pro juramentorum observantia conveniri debent coram iudice ecclesiastico; cap. final. De foro compet., in 6. (14. Laici in mere temporalibus et profanis non ligantur constitutionibus canonicis, nisi in terris Ecclesie; cap. *Quoniam* 8, dist. 10, cap. *Si duobus* 7, De appellationibus § denique.

(15. Laicis personis de ministeriis fidei publice, vel privatim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ. Vide verb. *Fides* n. 36. (16. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei du-

bitativam, sed etiam disputationem fidei confirmativam. Vid. ibidem, n. 37. (17. Talis prohibitio comprehendit omnes laicos nedum indoctos, sed etiam doctos. Vid. ibid., n. 38. (18. Possunt tamen laici docti de fide disputare in casu necessitatis aut evidentis utilitatis. Vid. ibid., n. 39. (19. Possunt etiam laici docti disputare de fide disputatione materiali, hoc est ficta. Vid. ibidem, n. 40. (20. non autem disputatione formali, hoc est vera, nisi in casu necessitatis aut evidentis utilitatis. Vid. ibid., n. 41.

(21. Laici non possunt prædicare. Concil. Carthagin. VI, cap. 68, cap. *Cum ex injuncto* 12, De hæreticis. Imo laici prædicantes subjacent excommunicationi, et nisi quam citius resipuerint, alia competentis pœna sunt plectendi, textu expresso in cap. *Excommunicationis* 13, De hæreticis, § Quia vero, ibi: « Quia vero nonnulli sub specie pietatis, virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi (cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?) omnes qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede vel catholico episcopo loci susceptam, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur, et, nisi quam citius resipuerint, alia competentis pœna plectantur. » (22. Laici præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non possunt. Concil. Carthagin. IV, cap. 66, cap. *Mulier* 29, dist. 23, ibi: « Laicus autem præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat. »

(23. Laicus, qui post commissum delictum sine ulla fraude factus est clericus, gaudet privilegio fori tam quoad personam quam quoad bona, quia privilegium superveniens universaliter eximit: cap. *Frater noster*, et ibi Glossa in verb. aliquid caus. 16, qu. 1, c. *Cum capella*, De privilegiis, et liberat ab obligatione, qua quis antea tenebatur; cap. *Ex antiquis*, cap. *Fraternitatem*, et cap. *Si servus*, dist. 54, l. penult. § Si post. et l. Spadonem, § Scire, ff. de excusat. tutor. l. Is cui, ff. de alim. et cibar. legat., et sic expresse decisum fuisse a Sac. Congr. Conc. refert Fagnan. in cap. *Magnus* 1, De obligat. ad ratiocinia, n. 64. vid. verb. *Clericus*, art. 2, n. 23. (24. Si vero post commissum delictum in fraudem clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio fori quoad personam. Vid. ibidem, n. 24. (25. At non gaudet privilegio fori quoad bona, si iudex laicus post commissum delictum ante illius promotionem prævenit in causa. Vid. ibidem, n. 25. (26. Judex tamensæcularis præveniens non potest in bonis talis clerici procedere, nisi postquam iudex ecclesiasticus pronuntiaverit eum in fraudem curiæ sæcularis promotum fuisse. Vid. ibid., n. 26.

(27. Laicus, qui, dum detineretur in carcere curiæ sæcularis, factus est clericus vel professus, potest a iudice laico stringi et puniri etiam in persona. In tali enim casu præventa est causa et persona, tum quia ordo et professio non invenit

istum liberum, tum etiam quia ex contrario nimium eluderetur justitia; Jo. Andr. in c. *Magnus* 1, De obligatis ad ratiocinia, n. 19; Butrius ibid., n. 9; Card. ibid., n. 9, qu. col. 4, vers. *Quæ dicta sunt de personali distinctione*; Ancharan., ibid., n. 2, in fine; Fagnan. ibid., n. 52, et 83, ubi ex aliis dicit esse communem, quia, sicut assumptio clericatus in fraudem non eximit bona clerici a jurisdictione iudicis laici, quando causa est præventa, ita nec eximit personam, quando est præventa persona; utroque enim casu jus divinum sive ecclesiasticum declaratur ab Ecclesia ad eam speciem non pertinere, ut expresse dicit Fagnan. cit. n. 83, in fine. (28. Laicus inquisitus, et carceratus in curia sæculari, et postea dimissus sub fidejussione de se repræsentando, si interim fuerit factus clericus, potest pro causa illa a iudice laico ad carceres revocari, et puniri etiam pœna corporis afflictiva. Talis enim a carceribus dimissus sub fidejussione de se repræsentando censetur adhuc carceratus et in vinculis detentus; et sic cum in tali casu præventa sit a iudice laico causa et persona, et ordo non invenit ipsum liberum, remaneret adhuc ipse sub iudicis laici jurisdictione seu potestate. Si ex variis aliis tenet Fagnan. loc. cit., a n. 64, ad 87, ubi refert sic in simili fuisse declaratum a sacra congregatione Concilii.

(29. Laicus in exsilium pulsus a iudice sæculari cum hoc, ut si exsilium non servaret, indiceret in pœnam trirerium, si postea ordinatus exsilium non servaverit, et propterea ab eodem iudice in carcerem conjectus fuerit, si revera ante transgressionem exsilii promotus fuerit, est remittendus ad iudicem ecclesiasticum. Fagnan. in cit. cap. *Magnus*, n. 91, ubi refertur sic declarasse sac. congr. Concil. die 14 Novembr. 1609. Alia ad rem, vid. d. verb. *Clericus*, art. 2, a n. 27, et verb. *Habitus* a n. 56.

(30. Laici non possunt offerre oblationes in Altaribus, c. *Sanctorum* 14, caus. 10, q. 1. (31. Laici non possunt sacrificare, nec absolvere, aut ligare, lib. 3 Constitution. Apostolicarum, cap. 10; Leo X Constit. 40, incip. *Exsurge*; Concil. Trid. sess. 7. canon 10, et sess. 14, c. 5, et Canon. 10 ejusdem sess. 14. (32. Unde laicus, seu etiam clericus non sacerdos audens celebrare et sacramentaliter absolvere, fit suspectus de hæresi, et est cogendus ab inquisitoribus abjurare de vehementi, et licet esset minor 25 annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, et brachio sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus ex Clemente VIII, constit. incip. *Et si alias*, et Urbano VIII, constit. 79, incip. *Apostolatus officium*. (33. Et si laicus, vel clericus non sacerdos, attentaret absolvere, nulla esset absolutio, non obstante errore communi. Vid. verb. *Confessarius*, art. 1, n. 37.

(34. Laici neque possunt exercere ministerium ordinum minorum. Concil. Colonien., l. par. III, cap. 31; Concil. Trident. sess. 23, *De reformat.*, cap. 17. (35. Laici non possunt regulariter inservire ministris in altari. Con-

cil. Coloniens. II, par. III, cap. 31. (36. Laici sub specie panis tantum possunt communicare. Concil. Constantiense, sess. 13, c. 1; Conc. Trid. sess. 21, c. 1. Canon. 1 et 2 ejusdem sess. 21. (37. Laici non a se, sed a sacerdotibus debent Eucharistiam accipere, arg. cap. *Tribus gradibus* 22, et cap. *Pervenit* 29, dist. 2, De consecr. Barbosa in concil. Trident. sess. 21, c. 1, n. 3. Communis, et praxis univers. nisi essent in articulo mortis, et deficeret sacerdos, vel diaconus, cum in casu talis extremæ necessitatis præceptum humanum cederet præcepto divino sumendi pro tunc viaticum. Sic plurimi cum La Croix lib. VI, part. 1, n. 48, 482.

(38. Laici eligere non possunt ad dignitates et prælaturas ecclesiasticas; cap. *Nullas* 1, cap. *Non est* 6, c. *Non licet* 8, et c. *Nosse* 12, dec. 63, cap. *Contingit* 8, De arbitris, c. *Decernimus* 2, De judiciis, cap. *Sacrosancta* 51, et c. *Massana* 56, De election. cum similibus. (39. Et electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela, textu expresso in cit. capite *Massana* 56, De election. et ibi doctores communiter. (40. Laici non eligi possunt ad dictas dignitates et prælaturas ecclesiasticas; qui enim necdum sunt tonsurati, sunt inhabiles ad quodlibet beneficium, ita ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; arg. c. *Ex litteris* 6, De transactionibus, et notat Glossa final. et Abbas ibid., n. 3, et tenet Rota part. 18, recent. tom. 1, dec. 40, n. 4. (41. Nisi tamen Papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi, et postea quamprimum tonsurari, prout aliquoties contigisse cum magnorum principum filiis, præsertim in Germania refert Sanig, cap. 2, n. 2, De election. (42. Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus sancti, prout S. Nicolaus, S. Severus, et S. Ambrosius ex laicis fuerunt electi in episcopos, ut habetur in cap. *Statuimus*, § 8, E contra, dist. 61. (43. Unde laici, ut vides, sunt incapaces beneficii ecclesiastici; arg. cit. cap. *Ex litteris* 6, De transactionibus; sunt enim laici incapaces omnis juris ecclesiastici; cap. *Cum adeo* 17, De rescriptis, cap. *Causam* 7, De præscriptionibus, cap. *Contingit* 8, De arbitris, cap. *Decernimus* 2, De judiciis, cap. *In Ecclesia* 2, De institutionibus, cum similibus. (44. Possunt tamen laici præsentari ad beneficia a patronis coram ordinario, sub conditione quod clericentur intra tempus statutum ad præsentandum, ut dictum est verb. *Juspatronatus*, art. 4, n. 71. (45. Laici non possunt habere pensiones ecclesiasticas. S. Pius V, constitut. 74, incipient. *Sacrosanctum*.

(46. Laici etiam patroni non possunt conferre clericis beneficia aliasque ecclesias, sed possunt ad ea præsentare si habent jus; et si concedunt sine licentia episcopi, nulla est concessio; cap. *Cum laici* 10, De juspatronatus, Conc. Lateranen. III, in append. titulus. De juspatron. c. 3. (47. Laici non possunt alicui domui religiosæ concedere juspatronatus sine licentia episcopi; cap.

Cura pastoralis 11, De juspatron.; Concil. Lateran. III, eod. tit. cap. 6. (48. Laici non possunt spoliare de ecclesiis seu beneficiis clericos delinquentes. Concil. Constantiens. contra art. 16; Voicless. cap. *Relatum* 21, De juspatron. § Ad hoc. (49. Laici, qui clericos instituunt et destituunt, in ecclesiis etiam patronatus subjacent excommunicationi cap. *Præterea* 4, De juspatronatus.

(50. Laici non possunt facere judicia in ecclesiis. Conc. Arelatens. IV, cap. 22, cap. *Ut in domibus* 1, De immun. eccles. (51. Imo laici nec possunt facere sua concilia in ecclesiis, et domibus earum: in cit. cap. *Ut in domibus Ecclesiarum* 1, De immun. Eccles. (52. Laici non possunt frequentare monasteria monialium, alias excommunicationi subduntur, textu expresso in capit. *Monasteria* 8, De vita et honestate clericorum. (53. Laici non possunt tangere sacras reliquias, neque vasa sacra, et neque illa abluere. Concil. Coloniens. II, p. 3, cap. 31. (54. Laici induentes se vestibus sacris sunt puniendi, et condemnatur mos in aulis principum induendi laicos habitu episcopali joci gratia. Conc. Constantinopolitan. IV, cap. 16, ibi: « Colligere licet solemne fuisse in aulis principum, statis quibusdam diebus componere aliquem laicum insignibus episcopalibus, qui et tonsura, et cæteris ornamentis personatum episcopum ageret, et creasse etiam ridiculum patriarcham, quo se oblectarent. Quæ omnia, ut in dedecus ecclesiæ accersita prohibentur sub gravibus censuris. » (55. Laici non possunt indui superpelliceis. Concil. Coloniens. II, p. 3, cap. 31.

(56. Laici nequeunt habere cryptas, et aditus subterraneos, per quos e suis domibus ad ecclesias et loca immunia transeant; et ubi adsint, injungitur episcopo ut eos claudere faciat. Sac. congregat. Immunitatis in Aquilana 9 Martii 1633, lib. II Decret. Pauluc. pag. 115. Vide verb. *Ecclesia*, art. 6, n. 1. (57. Laici, dum divina celebrantur, non debent inter canonicos, et alios ecclesiæ præbendatos in choro stare vel sedere; cap. *Sacerdotum* 29, dist. 2, De consecrat. c. *Ut Laici* 1, De vita et honestat. Clericorum; et sic expresse decrevit sacra congregatio Rit. in Compostellana 4 Februar. 1600. (58. Laicorum loca in ecclesia distincta et separata esse debent a locis canonicorum et ministrorum in divinis inservientium. Sacra congregat. Rit. in Elboren. 8 Jan. 1605. (59. Laici non debent occupare stalla seu loca dignitatum, canonicorum et præbendarum in choro, vel presbyterio, etiamsi sint illustres, et de magistratu. Sacra congregat. Rit. in Compostellana 21 Februar. 1604, et Granatens. 24 Octob. 1609.

(60. Laici non possunt retinere sedilia in presbyterio. Nec possunt retinere baldachinum in ecclesia; nec eis est deferendum Evangelium ad osculandum. Vid. verb. *Ecclesia*, art. 5, n. 29 et 30, ubi afferuntur ad hoc decreta generalia. (61. Hinc sacra Rit. congregat. mandavit aptandum esse locum magistratui extra presbyterium juxta desi-

gnationem porrectam a magistro cæremoniariarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. Vide ibidem, n. 31. (62. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus. Vide ibidem, a n. 32 ad 36, ubi afferuntur varia decreta ad rem. (63. Laici, exceptis personis regalibus, nequeunt sibi facere deferri strata ad ecclesias. Vide ibidem, n. 28, ubi afferitur decretum id prohibens sub gravibus pœnis.

(64. Laici an et quomodo possint ponere et retinere sedilia, seu scamna propria in ecclesia. Vide ibid., a n. 7, ad 27. (65. Laici non sunt invitandi ad synodum, nec locum prætereundum possunt. Sacra congregat. Concil. in Liciensi Synodi 10 Januar. et 10 Aprilis 1688, in responsione ad primum, (66. et sacra congregat. Rit. in Urbinaten. 23 Januarii 1700 in responsione ad septimum. (67. Laici non possunt esse vicarii episcopi. Concil. Hispalens. II, cap. 9. Laici non possunt esse socii visitoris in ingressu clausuræ monialium. Sic expresse statuit Gregorius XIII, constit. incipient. *Dubiis*, ubi imponit gravissimas pœnas contra visitatores transgressores, et pluries declaravit sacra congregat. Episc. et Regul. et signanter in Tarvisina 20 Novembr. 1601, etiamsi essent

LARGITIO MUNERUM.

Vide verb. REGULARES, verb. XENIA, et verb. POENA, artic. 4, n. 147.

LATRONES CRUCI CUM CHRISTO AFFIXI.

(1. Latrones crucifixi cum Christo, quinam fuerint? Hi latrones fortasse fuerunt ex iis qui tunc temporis Judæam infestabant, nec alium sibi regem esse quam Deum asseriebant, et Romano imperio propterea se non esse subjectos jactabant. Circa autem eorum nomina satis variant auctores. In collectaneis enim quæ Bedæ falso adscribuntur, Latro bonus *Matthæ*, et latro malus *Jocac* nominatur. In historia Xaveriana par. 480, unus dicitur *Vicimus*, et alter *Justinus*. In Evangelio apocrypho infantie Christi, cap. 23, nuncupatur unus *Titus*, et alter *Dumachus*; et in evangelio Pseudo-Nicodemi cap. 9, latro probus appellatur *Dimas*, et improbus *Gestas*: quod etiam tradidit Goffridus Vindocinensis in fine sermonis decimi. Sic expresse Card. Lambertini postea Benedictus XIV, De canonizat., lib. IV, cap. 12, num. 10, ubi insuper tradit quod bonus latro cultum obtinet in utraque Ecclesia, Occidentali videlicet et Orientali. Ad diem 25 Martii mentio ejus fit in Martyrologio Romano: Hierosolymis commemoratio sancti Latronis, qui in cruce Christum confessus ab eo meruit audire: *Hodie mecum eris in paradiso*; subditque Card. Baronius in notis: « Dimas hunc plerique appellant, sed quoniam id ab apocryphis proditur, ea de causa hic nomen proprium prætermisum videtur. Reperiuntur autem sancti Dimæ latronis nomini nonnulla sacella dicata, et memoriæ erectæ eodem titulo. »

officiales, seu santesii ejusdem monasterii, ut in Genuensi 16 Januarii 1607, in Registro fol. 2 et 3, in Lucana 22 Januar. 1610, in Registro fol. 15.

(68. Laici magistratus jus non habent indicendi publicas preces. Bened. XIV, tom. I, constit. 82, incip. *Quemadmodum* § 3 et 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(69. Reticendum hic haud est quod in concilio Romano tit. 28, De immun., cap. 4, alias habetur: « Generalis Sanctæ Sedis decreto in ecclesiis etiam regularibus intra presbyteriorum et altarium septa, dum missæ ibi celebrantur, aliave divina officia persolvuntur, sæcularium personarum cujuscunque conditionis, et sexus assistentiam prohibitam fuisse non ignoratur. Verumtamen cum ad hoc laici quidam in vetita temeritate nitantur, et ibidem stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare præsumant, id iterum juxta sacrorum canonum ejusdemque Apostolicæ Sedis mentem, sub ecclesiarum regularium etiam, et quomodocumque exemptarum interdicti pœna ipso facto incurrenda, et romano Pontifici reservata inhibemus, mandantes ut, si quæ sint pro laicis sacra intra loca prædicta sedes, scamna et genuflexoria, illine auferantur et removeantur omnino. »

(2. Sub nomine tamen sancti latronis somniamodo, reticito proprio nomine, in religione beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, ex concessione Sixti V recitatur officium proprium de confessore non pontifice cum oratione, et responsoriis propriis, et primis lectionibus desumptis ex Scripturis, secundis ex sermone sancti Joannis Chrysostomi, et tertiis ex sermone 49 sancti Ambrosii, in quo fit sermo de sancto latrone. Cum autem a congregatione patrum Piorum Operariorum fuerit supplicata extensio dicti officii, ex quo sanctum hunc bonum latronem in specialem patronum, et advocatum suum elegerit, propter expertas plurimas peccatorum conversiones ejus intercessione in suis sacris missionibus factas; et orta difficultate, an de confessore, aut de martyre ejus officium recitari deberet, omnibus pensis Sacrorum Rituum Congregat. die 23 Septembris 1724, adhærendo opinioni assentientium, hoc officium recitandum de confessore, et non de martyre, indulsit dictæ congregationi Piorum Operariorum, ut illud possent recitare de confessore non pontifice, sub nomine sancti Boni Latronis, prout cultum obtinet in religione B. Mariæ de Mercede. Sic apud laudatum Lambertin. Benedict. XIV. loc. proxime cit. ubi multa tradit ad rem.

(3. Quoad nomina latronum fere consimiliter, ut supra, tradit eruditissimus Calmet in Dictionario, verbo *Latro*, ubi de ipsis sic